



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Legia Catholica**

**Roberti, Johannes**

**Leodii, 1633**

50. Reginardus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64596)

quod, eâ Epistolâ citatâ subiun-  
git: *Vides, Lector, prima spi-  
cula in virulentum draco-  
nem, vibrata fuisse à Nobi-  
lissima Ecclesia Leodiensi, Ca-  
tholicæ Fidei tenacissima: in  
primis verò ab eius Episcopo  
Durando, nec non ab eiusdem  
Ecclesiæ Scholastico. Schola-  
sticum intelligit Baronius, no-  
mine Adelinum, qui postea  
Brixienfis fuit Episcopus. Hic  
Epistolam ad Berengarium, eo-  
dem argumento scripsit: quâ il-  
lum hortatur, vt pacem Catho-  
licam ne perturbet, dum Eccle-  
siæ Dogmata euertere conatur.  
Obijt Durandus anno 1025.*

## L. REGINARDVS.

[Leodiensem Ecclesiam iste à  
S. Materno quinquagesimus  
obtinuit: sed per nefariam si-

moniam. Quam tamen simoniam canonicè, & Catholicè expiauit. Nam Romanum Pontificem, Christi Vicarium agnoscens, in Urbem profectus est, vt eo crimine solueretur. Ibi ad Ioannis Papæ pedes se abiecit: & interruptâ multis singultibus oratione, culpam confessus est: Pastoralem baculum in S. Petri Altari deposuit, & cum eo Episcopatum. Quem tamen tertio post die illi Pontifex restituit.

Leodium reuersus, Ecclesiam S. Laurentij ædificauit, siue renouauit: eandem prædijs auxit, & *Triginta ibi Monachos regulariter viuentes constituit*, inquit Anselmus. Sepultus est in eadem Sancti Laurentij Ecclesia Reginardus, anno 1038.